Quelle: http://manuscripta.at/?ID=28694
Copyright: Wien, Schottenstift (Benediktiner)

36

usurpat facultates. Cessa cessa, desine
audacia haec. Alioquin, nos non sinimus,
non sustinemus. Hoc dixit, prodesse quod vellet,
non quod posset considerans. Nam de quibus
praesumebat et secum adduxerat, viso viro
mutati sunt, et nemo non ibat cum eo. Ad quem vir
sanctus tota libertate intendens: Miser, inquit, opus
quod inchoatum vides et invides, sine du-
bio proficiet; perfectum videbunt multi. Tu vero
quia non vis, non videbis, et quod non vis mori-
eris. Attende tamen ne in peccato tuo mo-
riaris. Ita ille mortuus est, et opus completum
est, sed ille non vidit, quia ut praefatum sum, an-
no eodem mortuus est. Item pater audito
more quod de filio sanctus praedixisset, sciens
verbum eius vivum et efficax esse: interfecit,
inquit, filium meum. Et instigante diabo-
lo tanto furore exarsit in illum, ut co-
ram duce et maioribus illius diei falsita-
tis et mendacii arguere non vereretur hominem
qui veracissimus esset, et discipulus veritatis et a-
mator. Et convicium intulit, simiam ap-
pellans. Et Malachias quidem doctus non red-
dere maledictum pro maledicto, obmu-
tuit et non aperuit os suum, dum consisteret pec-
cator adversus eum. Sed non Dominus oblitus sermo-
nis sui quem dixerat: Mihi vindictam, et ego
retribuam. Eadem die domum reversus homo lu-
it linguae effrenis temeritatem, ipso ul-
tore quo instigatore laxarat. Arrep-
tum in ignem proicit daemonium; sed mox ma-
nibus assistentium extractus est, adustus
corporis parte et mente captus. Et dum insa-
niret, vocatur Malachias, venit, reppe-
ritque maledicum spumantia ora tor-
quentem, horrendis vocibus et motibus
terrentem omnia, ac toto corpore agitatum
vix posse teneri a pluribus. Et orans
pro inimico vir totius perfectionis,
exauditus est, sed ex parte. Nam illico quidem
sancto orante ille aperuit oculos, et sen-
sum recepit. Relictus est autem ei spiritus Domini ma-
lus qui eum colaphizaret, ut discat non
blasphemare. Credimus eum vivere
usque ad hunc et usque ad haec tempora luere
peccatum in sanctum, certis temporibus tamen
fertur lunaticum esse. Porro praedictae pos-
sessiones cum iam pro sui imbecillitate
et inutilitate eas tenere non valuit,
in pace ad locum cuius extorserant redie-
runt. Nec renuit Malachias post
multam demum vexationem, pacis obten-
tu. Sed iam ad opus aedificii quod Malachias
aggressus est, sermo recurrat. Et quidem
non erat Malachiae non dico unde perficeret, sed
unde faceret quicquam; erat autem cor eius fi-
duciam habens in Domino. Dominus vero providit, ut
si non sperante in pecuniae thesauris, pe-
cunia non deesset. Quis enim alius fecit ut the-
saurus eo loci reponeretur, repositus non re-
periretur usque ad tempus et opus Malachiae? In-
venit Dei famulus in dicti marsupio quod
defuit suo. Merito quidem. Quid enim
iusti, ut cui pro Deo non erat proprium,
cum Deo iniret consortium, et mar-
supium unum esset amborum fide-